



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Potestati Et Consiliariis Mediolanensibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

Suppanis fidelitatis iuramenta recepit, & eos de feudis suis solemniter juxta imperij consuetudinem investivit. Ne igitur, si finem expectaveritis, veritatem negetis & *Nescio vos* cum fatuis virginibus audiatis, *præveniatis* Regem ipsum obsequio, & eum recipientes in Regem, auxilium ei tam utile quàm efficax impendatis. Alioquin, dextra Domini faciente virtutem, Rex ipse promotionis suæ recipiet incrementum, & in proximo monarchiam imperij obtinebit; sed vobis in nullo tenebitur, & nos vobis minùs reputabimus debitores. Cùm autem venerabilibus fratribus nostris Ferrariensi, Papiensi, & Placentino Episcopis, quibus etiam venerabilem fratrem nostrum Mantuanum Episcopum sociamus, pro eo quòd quæ in nostra præsentia constitutus à nobis audivit vobis poterit viva voce referre, negotium istud apud nos injunxerimus procurandum, volumus & mandamus ut per eos nobis plenius respondere curetis. Datum Anagninæ 111. Idus Decembris.

E I S D E M.

Epist. 93.

Cùm per venerabiles fratres nostros Ferrariensem, Papiensem, & Placentinum Episcopos super factò imperij vos nuper duxerimus consulendos, quia de negotio ipso non eratis ad plenum instructi, minùs sufficienter & plenè per eosdem nobis Episcopos respondistis. Ut igitur ex iis quæ acta sunt hætenus plenius formetis animi vestri motum & propositum vestrum melius nobis exponere valeatis, per litteras generales totam seriem hujus facti, quam scire vos expedit, vobis duximus exponendam. Ideoque universitatem vestram monemus attentius & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus cum prædictis Episcopis, quibus etiam venerabilem fratrem nostrum Mantuanum Episcopum duximus sociandum, utpote qui quæ à nobis audivit vobis plenius poterit viva voce referre, cùm ab eis fueritis evocati, ad diem & locum quem vobis præfixerint accedentes, auxilium & consilium vestrum per eos & litteras vestras nobis plenius exponatis. Datum Anagninæ ut supra.

FERRARIENSI, PAPIENSI,
Placentino, & Mantuano Episcopis.

Epist. 94.

Cùm per vos, fratres Ferrariensis, Papiensis, & Placentine, venerabiles fratres nostros Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates & alios Ecclesiarum Prælatos, Rectores quoque, Potestates, Consules, Marchiones, Comites, & alios nobiles Lombardiæ super factò imperij duxerimus consulendos &c. *in eundem ferè modum usque* exponendam. Quia verò tu, frater Mantuane, quæ à nobis audisti eis poteris viva voce referre, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus prædictos omnes ad locum idoneum convocetis; ubi præsentatis eis majoribus litteris & perlectis, tenorem earum ipsis diligentius exponatis, exigentes ab eis ut non solum consilium nobis tribuant, sed auxilium & favorem impendant, & super utroque per suas nos redant litteras & nuntios certiores. Vos quoque per litteras vestras responsiones eorum no-

bis plenius intimetis. Datum ut supra.

POTESTATI ET CONSILIARIIS
Mediolanensibus.

Epist. 95.

Nlli constantiam vestram & industriam novissemus, potuissemus non immeritò commoveri quòd super factò imperij, de quo tam vos quàm alios Lombardos nuper duximus consulendos, ita summotenus & superficite tenus respondistis ut videremini aliud sapere quàm quod hætenus vos novimus sapuisse. Meminimus enim, nec credidimus vos oblitos, qualiter olim pro carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Ottone in Romanorum Imperatorem electo per litteras vestras, quarum inscriptum vobis sub bulla nostra mittimus interclusum, preces humiles porrexistis, inclitæ recordationis Henrici Ducis Saxonie patris ejus beneficia recolentes. Sanè cùm consuetudinis vestræ fuerit ut quod fortiter inchoastis, fortius completeretis, miraremur non modicum si in ea promotione Regis ipsius tepuissetis in aliquo vel proposito mutassetis, quoniam fortitudinis vestræ constantiæ plurimum mutabilitatis hujusmodi levitas derogaret. Monemus igitur discretionem vestram & exhortamur attentius & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus sicut de vestra devotione confidimus, & vos de nostra dilectione speratis, non recedatis à constantia mentis vestræ, sed in bono proposito persistentes, in colloquio ad quod per venerabiles fratres nostros Ferrariensem, Mantuanum, Papiensem, & Placentinum Episcopos vos & Lombardos alios convocari mandamus, tale dare consilium & auxilium promittere procuretis quòd ceteri exemplo vestro ad devotionem Regis ipsius fortius inducantur, & consilium suum ex vestra responsione formantes polliceantur auxilium opportunum. Nec trepidetis ubi non est de cetero trepidandum, cùm ipsius Regis promotio optatum jugiter recipiat incrementum. Datum ut supra.

VNIVERSAM TAM ECCLESIASTICIS
quam secularibus Principibus Alamanniæ.

Epist. 96.

Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & divinæ voluntatis propositum quidam tunc amplius promovent dum illud se credunt fortius impedire, quosdam iniquitatis filios & falsitatis amicos, qui per mendacia concinnata divinæ dispositionis arbitrium in promotione carissimi in Christo filij nostri illustri Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi retardare volebant, permisit Dominus in mendacio publicè deprehendi; ut cùm mendaces apparerent in uno, demerentur in ceteris mendaciis suis fidem, nec favorem, quem mentiando saltem indicare volebant, apud veritatis filios obtinerent. Ecce etenim ei qui quos amat arguit & castigat gratiarum exolvimus actiones quòd visitans visitavit nos & secundum multitudinem miserationum suarum nos propitius castigavit, sed morti non tradidit; immo qui percusserat, jam sanavit, & nostris contritionibus alligatis, plenius nos restituit sanitati. Crediderant autem quidam ex infirmitate nostra se nocendi mat-